



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De differentia humanorum præceptorum seu traditionum. tit. 229

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

cunt, Dominus meus Iesus: hi sunt illuminati à Spiritu sancto, & liberati è regno sathanæ. Vbi enim Christus intrat, expellitur sathanas: Non enim est conuentio Christi & Belial, 2. Corint. 6. id est, simul habitatio.

Tertio, In quo quisque regno sit, ex operibus dignoscitur. Si in regno Christi, tunc ille agit iuxta fidem, dilectionem, timorem, & in cæteris virtutibus & fructibus Spiritus sancti, Gal. 5. ambulat. Et qui in Christi regno sunt, carnem suam crucifigunt cum concupiscentijs suis. Si autem est in regno sathanæ, tunc agit & viuit secundum carnem, id est, opera carnis perpetrat, Gal. 5. quæ sunt fornicatio, luxuria, idolorum seruitus, inimicitia, iræ, rixæ, dissensiones, homicidia, sectæ, ebrietates, & ijs similia, de quibus dico: si quis talia fecerit, regnum Dei non possidebit. Probet nunc quisq; seipsum, in quo regno sit.

Sed inquires: Quis est sine peccato? Ergo nemo est in regno Christi? Respondeo: Quidam sunt inuoluntarij peccatores, qui resistunt motibus & telis sathanæ, sicut Rom. 7. dicit Paulus: Sentio aliam legem in membris meis, &cæ. sed resistit. Et sic petimus à Deo propter Christum, ne inducamur in tentationem, Mat. 6. At quidam sunt ex voluntate & proposito peccatores, & pergunt sine pœnitentia & cessatione in peccatis carnis, & de illis dicit Apostolus Roma. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini.

DE DIFFERENTIA HUMANORUM  
præceptorum seu traditionum.

TITVLVS CCXXIX.



RAEceptum humanum est, quod non includit in se Dei verbum & præceptum: Nec fit propter verbum & præceptum Dei, sed solū ab homine excogitatum contra

contra Deum & proximū. Sic Esai. 29. dicitur, quod timuerūt me mandatis hominum & doctrinis, id est, putarunt quod contra me peccarent, si frangerent hominum doctrinas & præcepta, non pensantes mea præcepta. Sic hodiè fit, quod pluris facimus hominū præcepta, quàm Dei. Ideo hæc traditio, quæ supponit Dei mandatum, vt erat Corban, Gazophylacium Phariseorum, Mat. 15. est contra Deum. Sic Antiochi præceptum, 1. Machabæ. 1. quo compellebat ad fidem Gentium Iudæos. Et quo Ieroboam longè antè ad adorationem vitulorum, 3. Reg. 12. Sic arguit Matth. 32. Christus Phariseos, qui minima præcepta humana seruabant, & maiora legis reliquerunt, iustitiam, misericordiam, fidem, decimantes mentham, anethum &c.

Secundò, sunt præcepta & ordinationes humanae, quæ in se includunt Dei verbum & præceptum: ideo nō sunt simpliciter humanae, vt dies sabbathi & aliarum feriarum: habent enim præceptum Dei, Exo. 20. Sabbathum sanctifices. Sic dies præscripti ieiuniorū & ciborum habent verbum Dei, Matthæ. 6. Cū ieiunaueritis &c. Sic tempus & dies orationum, Cū oraueris: sic cultus cæremoniarum templi habet verbum Dei, Nomen Dei sanctifices, &c. Sic omnes cæremonia Ecclesiæ habent præcepta & verbum Dei. Ideo non sunt mera humana præcepta. Sic cōclusio- nem concilij Hierosolymis Petrus nō reputauit pro traditione solū humana, sed inquit: Visum est Spiritui sancto & nobis. Ita conciliorum præcepta non sunt merè humana, sed diuina. Ipse Spiritus sanctus est Deus. ideo eius inspiratio est diuina, & nō humana. Ordinationes igitur Ecclesiæ atque præcepta qui contemnit, etiam diuina contemnit, 1. Thessalonic. quarto, qui hæc spernit, non hominem, sed Deum contemnit: qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis.

Cælibatus habet verbum Dei Matt. 19. & 1. Cor. 7.  
Qui potest capere, capiat.

Monachus habet verbum Dei, Matt. 19. Vos qui  
reliquistis omnia, &c.

Vestitus Ioannis, Mat. 3. nunquid fuit ex mandato  
Dei? attamen commendatur Mat. 11.

Vota habent verbum Psalm. 75. Vouete & reddite  
Domino Deo vestro &c.

Abstinencia ciborum Regis non fuit mandata Da-  
nieli, Daniel. 1. & tamen Deo placuit.

Traditiones filiorum Rechab non fuerunt man-  
data Dei, attamen placuerunt, teste Hier. 35. Multa er-  
go non præcepta à Deo, attamen placuerunt.

Tertiò, Dei præcepta & Ecclesiæ statuta, sub tra-  
ditione humana fieri, nullibi est prohibitum in scri-  
pturis, sed magis laudabile & scripturis consenta-  
neum. Christus enim diuinitatis opera sua sub qui-  
busdam cæremonijs & maiestate perfecit. Sic susci-  
tat à morte Lazarum clamore, Ioan. 11. Sic facit lu-  
tum in sanatione cæci nati, Ioan. 9. & Paulus dicit 1.  
Cor. 14. vt omnia in nobis fiant ordine & cum hone-  
state. At hic ordo est ipsa diuinæ Ecclesiæ ordinatio  
in cibis, ieiunijs, ferijs, cultibus, &c. quæ omnia pro-  
pter Dei verbum & præceptum fiunt ad Dei gloriam  
& laudem.

Quartò, reijcere ergo illa opera præceptorum  
Dei pia ac consulta, ac à Christo seruata, scilicet ca-  
stitatem, paupertatem, obedientiam, &c. propter tra-  
ditiones humanas vestitus & cæremoniã, sub qui-  
bus fiunt, quid hoc aliud est, nisi reijcere nucleum  
propter putamina? Non ergo sine peccato sic reijci-  
untur traditiones Ecclesiæ, & sic fit, quòd neq; Dei,  
neq; hominum seruantur præcepta. Sic laus & glo-  
ria Dei reijcitur propter odium Papæ, sicut Iudas fe-  
cit in effusione vnguenti, Matt. 26. propter Christum.  
Euangelistæ & Apostoli fuerunt homines, sed credo  
illorum

illorum scriptis, quia Spiritus sancto inspirati locuti sunt, 2. Pet. 1. At cum in concilijs etiam ad sit Spiritus sanctus, loquens & diffiniens, Act. 15. ergo non debet dici traditio, aut doctrina humana, quod sanctorum in concilijs.

*QVAE SVNT DOCTRINAE  
demoniorum.*

TITVLVS CCXXX:



PRIMO, doctrina diabolica est, quae trahit hominem à fide Dei & dilectione proximi, sicut doctrina Luciferi fuit, qui voluit esse Deus, Esai. 40. & se à Deo cum suis adherentibus auertit. Sic erat doctrina serpentis, ne Deo obedirent, sed eos fore Deos Genes. 3. Sic erat doctrina Antiochi, 1. Machab. 1. ut homines ad cultum idolorum traheret à vero Deo. Sic inquit Paulus 1. Timotheū. 4. quod in nouissimis diebus discedent quidam à fide scilicet Dei, quod hic solus iustificat, & attendent spiritibus erroris, id est, falsis praedicatoribus ac doctrinis demoniorum, id est, quae à fide Dei auertent, dicentes, quod humanae traditiones, praecipua & opera in cibo potu vestitu non fieri vxoratum, & quae sunt in cultibus alijs humanis & caetera, iustificent hominem & saluent, & sic seipos volunt iustificare & saluare, & sic in hoc derogatur Christo, retrahuntur homines à fide scilicet illa, quod Deus propter Christum iustificat fide, sine caeremonijs & operibus legis, Roma. 3. ob id dicuntur doctrinae demoniorum.

Secundo, sic inquit Christus Matth. 15. quod gratias colunt me mandatis & doctrinis hominum, quae ego dico, hic cultus mihi non placet, cui honor tribuitur, scilicet quod saluet & iustificet. Nam gloriam meam alteri non dabo, Esai. 42. At quando caeremonijs, traditionibus, cultibus datur haec gloria quod saluet, non iustificet.